



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Syntagmata Theologica Sive Principalis Theologiæ Tractatus

Continet triplicem Tractatum: Primus est de Conscientia. Secundus agit de Merito. Tertius de Reviviscentia meritorum.

Lourenço, Agostinho

Leodici Eburonum, 1692

Prooemium.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-80151](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-80151)



PROOEMIUM.



UONIAM jam in primo Tomo de Deo viso ; sive de illius clarâ Visione egimus, quæ quidem nostra Beatitudo, & summa felicitas est; & de Prædestinatione Divinâ, quæ ad ipsam Beatitudinem æterna est electio Dei ; tandemque de ipso Deo Uno, & Trino, qui quidem ipsius Visionis objectum est, appetitum rationabilem perfectè, & summè satians, finisque, ad quem (ut de summâ Dei Bonitate speramus) sumus præordinati, & electi, non abs re erit de mediis nunc agere, quæ maximè conducunt ad ipsam Dei visionem, objectum beatificum, & finem ultimum nostræ summæ felicitatis consequendum, aut non consequendum : Cùm autem inter illa, quæ ad illum consequendum inserviunt, sit meritum, quod in rectâ, & bonâ conscientia situm est, & inter illa, quæ illius consecutionem impediunt, sit demeritum, sive peccatum, quod in pravâ & inordinatâ conscientia totum est, congruum, conveniensque sanè erit, si de omnibus his agere in præsentî pro nostrâ tenuitate statuamus. Triplici igitur Tractatu secundum hunc Tomum (Deo dante) absolvemus : *Primus* erit de Conscientia : *Secundus* de Merito : *Tertius* de Reviviscentia meritorum.

De Conscientia tractant communiter Theologi cum *D. Thom.* 1. 2. quæst. 19. art. 3. 5. & 6. & omnes Summistæ verbo *Conscientia*: tractant specialiter *Navar. cap. 27. n. 280. Cordub. lib. 3. qq. Sair. lib. 1. à cap. 2. Ex noltris, P. Azor. lib. 2. Instit. Moral. à cap. 8. ad 21. P. Vasq. 1. 2. à d. 58. ad 63. P. Filh. tom. 2. tr. 21. à cap. 4. P. Soar. 1. 2. d. 12. P. Valent. tom. 2. d. 2. q. 14. punct. 3. P. Tanner. tom. 2. d. 2. q. 6. à dub. 1. P. Layman. tom. 1. lib. 1. tr. 1. à cap. 1. P. Pal. tom. 1. tr. 1. à d. 1. P. Arriag. tom. 3. à d. 22. P. Amicus tom. 3. d. 15. P. Esparza tom. 1. lib. 3. q. 22. P. Escob. tom. 1. lib. 2. à sect. 1. P. Sal. 1. 2. tr. 8. d. unica. & alii apud citatos, & nos infra citabimus. Totum hunc Tractatum hoc ordine in sex Disputationes dividemus. *Prima* erit de Conscientia in communi. *Secunda*, de Conscientia rectâ. *Tertia*, de Conscientia erroneâ. *Quarta*, de Conscientia probabili, & improbabili. *Quinta*, de Conscientia dubiâ. *Sexta*, & ultima, de Conscientia scrupulosâ ; sit igitur.*